

Gottfried Voigt Martinus Huht


Disputationem Logicam De Formali Enunciatione Reduplicativae Et Specificativae

Gustrovi[i]: Typis Scheppelianis, 1671

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742557340>


Druck Freier  Zugang





DK-9453 (1)

*Ex
Bibliotheca
Academicae
Rostochiensis*



Inhalt:

(Progr. 1631) G. Schedius, Metaphrasis poet. Feschajahu proph. coniectionum.
Tenebrae in obitum Gust. Adolphi Suec. reg. .. habita a G. Schedio, Rector Sch. Gustr. 1633.
Lemus Regius, Das ist Schmelde Klag: u. Trauer Schrift üb. d. Eintritt .. Gustr. Adolphi .. Autore G. Schedio. 1633.

Progr. 1646. (Lectorum ad ont. invitat Rector Sch. Gustr. etc)

1648.

1649 (Jan., März, Dec.)

1650. (1. Aug. II Nov.)

1652.

1653.

1655.

1658. (1. Oct. u. Von Lecture.)

1663.

Natales Reipublicae Meclenburgicae sacri. Gustr. 1666.)

Joh. Schultzeanus, De mysterio pietatis.
mit Praes. G. Voigtii, Gustr. 1671.
(Vom Gradhock)

Hucht, Disp. log. de formali enunciationis redupl. et spec. sub praes.

G. Voigtii, Rectoris .. defendet. Gustr. (1671.)

Wagner, De oraculis Sibyll. sub pr. Voigtii .. def. Gustr. (1672.)

Progr. 1702. (Contra indifferentiam religionum.)

F. Otto, Theses log. resp. Daleke. Gustr. 1706. Editio II. 1710.

De veritate rel. christ. .. resp. Stark. Gustr. 1710.

In alterum jubilaum Lutherianum .. Gustr. 1717.

Laetare laudis sacrificium .. datuma novellis Athenaei Gustr. Collegis. (1717)

Thesium misc. decadem .. moderator F. Otto Rector. prop. D. Sandow. G. 1717.

Triumph. Lied .. 2. Luth. Jubel. Fest. .. G. (1717)

Festum transl. Bild. Luth. germ. .. celebr. in urb. Richter. Gustr. Rector. (1719.)

Cantata .. (1719)

Progr. 2. Festum sac. II Augustanae Confessionis .. in urb. " " " " (1730)

Cantata .. (1730)

Progr. 2. Geburtstagfeier des Herzogs 1731. (Richter, De Henrico Leone)

1732. (" " " " De Alberto et Johanne)

[1733 steht ill. 885-7]

1734. (" " " " De rebus Meclenburgicis)

Ns. Progr. 2. Geburtstagfeier d. Herzogs 1718 ff. u. a. siehe ill. 74.

Progr. z. Geburtstagsf. des Herzogs. 1735. (Richter etc.)

1736. (" ")

1737. (" ")

1738. (" ")

1739. (" ")

1741. (" ")

1743. (" ")

1744. (" ")

1745.

1746.

1747.

~~1848~~ *Leverii darnu bucolicum* ed. Richter. 1747.

1749.

1750.

Philippi Julii Ducis Rom. diarium itineris ed. Richter. 1750.



19
FELICITER!

IN

SERENISSIMI PRINCIPIS
MEGAPOLITANI

Illustri ad Nebelam ATHENÆO,

DISPUTATIONEM LOGICAM
DE

FORMALI E-
NUNCIATIONE

REDUPLICATIONE

ET SPECIFICATIONE

TIVÆ,

SUB PRÆSIDIO

GOTHFREDI VOIGTII,

Philos. Lib. q; Art. M. ejusdemq;

Athenæi

RECTORIS,

A. D. *August. A. C. 1671.*

publicè defendet

MARTINUS Huht / Münchenbergâ

Marchicus,

In Auditorio Majori, horis matutinis

GUSTROVI,

Typis SCHEIPPelianis;

VIRIS

*Admodum Reverendis, Magnificis, Nobilissimis,
Amplissimis, Excellentissimis*

DNO. HERMANNO
SCHUCKMANNO,

SS. Theol: D. celeberrimo, Su-
perintendenti Güstrovienſis Dioceſeos
Vigilantiſſimo, Sereniſſimi Principis
Mecklenb: à concionibus, con-
ſiliisqve Sacris & Collegii
Theologici Præſidi Emi-
nentiſſimo.

DNO. SAMUELI
VOSSIO,

THEOLOGO Celebratiſſimo, &
Districtus Rostochienſis Ephoro,
ſummo, eminentiſſi-
moqve

DNis Patronis, & promotoribus meis,
maximo obſervantiæ cultu æternum
proſeqvendis,

*Hasce Studiorum meorum primitias
conſecro.*

MARTINUS HUHT,
Münchenberg. Marchicus.

ἕκασ, ἕκασ ἔστ βιβηλοι.

QVÆSTIO LOGICA.

Quodnam sit formale enunciatio-
nis reduplicativæ & specificativæ?

SECTIO I.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Varias Logicorum sententias pro-
ponens,

§. I.

Evolventi mihi Logicorum commenta-
ria, eorumq; de formali reduplicati-
væ, & specificativæ judicia perquirere
si, quatuor potissimum occurrebant senten-
tiæ, quas notare ipsis Auctorum verbis, o-
peræ mihi visum est pretium. Primò non-
nulli putant, formale reduplicativæ in eo
suum esse, quod duplicet subiectum, ut
Ildefonsus de Pennafiel Tom. I. disp. II. de
Summulis, qu. 4. Cursus Philosoph., quæ
enunciationem reduplicativam dicit esse pro-
positionem, affectam particulâ geminativâ
aut reduplicativâ subiecti, id est, quæ indi-

A 2

617

eat, subjectum in tali propositione geminandum.

Huic accedere videtur *Matthias Aquarius*, qui reduplicativè ait sumi *Quatenus*, cum iterat subjectum propositionis, ut: homo, quâ homo, est risibilis; specificativè autem, cum non iterat, ut: homo, quatenus habet oculos, videt. ap. *Scheibler*. Oper. Log. Part. III. Tr. de prop. cap. IV. p. 566.

§. II.

Alii docent, formale reduplicativæ consistere in convertibilitate s. immediatione, quæ sententia *M. Georg. Gutkio* placuit. hic enim lib. I. c. 5. Log. div. ita reduplicativam describit: *Reduplicativa salutatur exponibilis, in quâ termini quatenus, quæ, in quantum, secundum, denotant immediationem, & convertibilitatem prædicati principalis cum termino reduplicato.*

§. III.

Plerique statuunt, formalem rationem reduplicativæ esse, quod limitet causam prædicati; Specificativæ autem, quod notet partem vel rationem, secundum quam prædicatum alicui convenit. Sic enim *Stalius*, Reg. Philos. part. II. disp. 2. Reg. 2. p. 46. *Notandum*, inquit, *particulam quatenus bifariam accipi: reduplicativè & specificativè, sicuti loquuntur. Reduplicativè sumitur, quando, ut volunt, indicat, id, cui apponitur, esse*

esse causam, propter quam prædicatum subje-
cto insit, ut cum dico: Homo, quatenus homo,
est disciplinæ capax. Sensus enim est, natu-
ram hominis esse causam, cur disciplinâ subigi
possit. Specificativè verò, quando vox, cui
apponitur, indicat partem aut proprietatem,
aliudve quid subjecti, secundum quod prædi-
catum ipsi conveniat, ut si dicam: animal,
quatenus oculos habet, videt, Christus, qua-
tenus homo, passus est. Sensus enim prio-
ris est, cum plurimæ hominis partes sint, per
oculos eum videre; posterioris, quod cum du-
abus Christus constet naturis, in humana pas-
sus sit. Idem statuere videtur Armandus de
Bello visu Tr. II. cap. 303. p. 547. his verbis:
Reduplicatio est quædam conditio posita in pro-
positione, reddens causam, quare prædicatum
inest subjecto. Et Scharffius Instit. & Manu-
al. Log., cui reduplicativa vocatur, quando
terminus restringens ostendit, per quam caus-
sam vel rationem prædicatum insit subjecto,
ut: Ignis secundum levitatem adscendit. Spe-
cificativè verò, in quâ saltem designatur seu
determinatur aliquid, secundum quod insit
prædicatum subjecto, ut: Æthiops secundum
dentes est albus. Nec diversum sentit Læberus
Tab. Log. XVIII. p. 24. & Saurius Syntagm.
Log. lib. II. sect. 2. cap. 2. p. 298. nisi quod
ille conditionem sine quâ non ad specificati-
vam, hic verò ad reduplicativam enunciatio-
nem referat. audiamus utrumque. ille pro se

ita ait: *Particula reduplicativa sumitur in reduplicativè. sic notat causam, propter quam predicatum convenit subiecto v. g. si dico: homo, quatenus rationalis, est risibilis.*
2. *specificativè. sic notat partem vel rationem, secundum quam alicui convenit, vel causam sine qua non e. g. homo, quia pedes, est claudus. ignis, quia prope est, calefacit.* Hujus autem verba ita habent: *Enunciatio restrictiva vel est reduplicativa, quando particula restringens indicat causam; vel specificativa, quando signum certam partem vel rationem significat, juxta quam predicatum convenit subiecto. In reduplicativâ enunciatione signum sumitur αιτιολογικῶς & causaliter, ut indicet causam & rationem, per quam predicatum inest subiecto: ubi per causam non intelligitur propria duntaxat & vera causa, quæ verè influit in effectum, sed etiam conditio sine qua non, quæ improprie & equivocè causa appellatur, sine quâ non verificatur predicatum de subiecto. In specificativâ particula restringens accipitur οριστικῶς & determinativè, ut subiectum specificet & modifcet, secundum quam partem vel rationem ipsi tribuatur predicatum. e. g. Petrus quoad manus est scabiosus: quia aures est surdus.* In Læberii sententiam it etiam Prüchnerus libell. de artif. disp. part. II. Tr. I. cap. IV. Tit. 3. art. 3. Reg. I. ubi ex Kesleri Tr. de conseqv. cap. 6. reduplicativas non unius esse generis profite-

tur.

tur. *Alie enim, inquit, sunt in specie reduplicativa, & magis propriè dictæ, in quibus vox quatenus (vel ejus æquipollens) significat causam, per quam prædicatum subiecto convenit: alie sunt minus propriè dictæ, in quibus vox quatenus (aut quæ ei æquivalet) specificativè sumitur, & significat vel partem vel rationem, secundum quam prædicatum subiecto convenit, ut homo, quatenus capillos habet, est crispus, vel Conditionem sine quâ non, ut ignis quâ prope est, urit, adeoq; notat saltem necessariam cohesionem & consecutionem. Idem docet Bechmannus Instit. Log. lib. II, cap. 12. pag. 335. Particula reduplicativa sumitur reduplicativè, quando significat id, cui additur, esse causam, propter quam prædicatum competit subiecto, ut: arbor, quatenus habet humorem pingvem, & calidum, servat folia. In hoc exemplo quatenus sumitur reduplicativè, quia significat, quod habere humorem pingvem & calidum sit causa, propter quam foliorum conservatio arbori competit. Specificativè verò accipitur (a) quando significat id, cui additur, esse partem vel materiam, secundum quam prædicatum subiecto competit, ut: ethiops, quâ dentes, est albus. hic reduplicatio ostendit partem, secundum quam prædicatum albus competit subiecto, nempe ethiopi. (b) Cum significat id, cui additur, esse rationem, sub quâ prædicatum subiecto competit, ut:*

A 4

Cor.

Corpus naturale, quatenus naturale, est ob-
jectum Physica. Hic particula quatenus osten-
dit rationem, sub qua corpus naturale est
Physica objectum. (γ) quando significat
id, cui additur, esse causam sine qua non,
vel conditionem, sine qua predicatum subje-
cto competere non potest e.g. ignis quatenus
prope est calefacit. Adde his Spenglerum,
qui Exerc. Log. V. pag. 416. §. 2. Enuncia-
tio restrictiva, inquit, duplex est, reduplica-
tiva & specificativa. Illa est, quando parti-
cula restringens ostendit causam, propter
quam predicatum inest suo subjecto. Homo
quoad animam est immortalis. Haec est, quan-
do subjectum quā partem aliquam limitatur
& restringitur, ut: ethiops quā dentes est
albus. Et Grosium Colleg. Log. Disp. VII.
§. V. qui ita hac de re: Restrictiva, inquit,
fit per particulas restringentes, quibus pre-
dicatum ita restringitur, ut certo respectu
dicatur inesse subjecto: Et subdividitur in
reduplicativam, quando terminus restrin-
gens ostendit, per quam causam vel rationem,
predicatum inest subjecto: & specificativam,
in quā saltem designatur & determinatur sub-
jectum illud cui attribuitur predicatum.

§. IV.

Sunt etiam, qui, in essentiali termino-
rum nexu, reduplicativam consistere, cen-
sent,

sent, ut videre est ap. Scot. l. 4. Metaph. c. i.
Anton. Andr. 1. Metaph. q. 1. Fons. Instit.
Log. l. 3. c. 27. Zabarell. 2. de prop. neces.
cap. 8. Hi igitur quatenus reduplicativè
ajunt sumi, quando indicat, subiecto conve-
nire predicatum per propriam essentiam, vel
subjectum continere precisam causam in se
istius attributi: atq; adeò significat, ean-
dem esse rationem, per quam subjectum sit
hoc ipsum, & per quam etiam ista passio ei
conveniat. Veluti: homo quia homo est risi-
bilis, h. e. homo per se & secundum esse hu-
manum est risibilis. Estq; hæc reduplicatio
sic dicta κατ' ἐξοχην, Specificativè verò su-
mitur quatenus, quando solum indicat sub-
jectum sumendum esse in suo formali, non au-
tem significat porro, predicatum fluere ex
illo formali subiecto, ut: homo quia homo est
albus, h. e. illa res, quæ homo dicitur, seu
quæ esse humanum habet, est alba. Videat-
ur Scheiblerus Op. Log. l. a. qvi & ipse
hanc sententiam probat. Sic enim scribit.
cap. 7. tit. 5. art. 2. pag. 619. Limitat illa
particula (quatenus) aliquando reduplica-
tivè, aliquando specificativè. Reduplicativè
limitat, cum indicat, predicatum illi subie-
cto convenire per propriam illius essentiam,
ut: animal, quia animal, est sentiens. Ho-
mo quia homo est capax discipline. Specifica-
tivè autem sumitur vocula quatenus, qua-
tenus solum indicat speciem, vel rem illam,

cui convenit, non autem designat causam in-
herentiam, sed solum hoc, quod reverà illud
sit subiectum, cui conveniat predicatum, ve-
luti, homo quia homo est albus, h. e. illa res,
quæ est homo, illa ipsa est, quæ sine repu-
gnantia vel impedimento dici possit alba.

§. V.

Similia his fere, sed magis perspicua at-
que accuratiora sunt, quæ docet Noldius
Log. Recogn. cap. IX. §. 6. p. 158. Limitati-
va, inquit, seu restrictiva est, quæ constat
ex modificatione seu syncategoremate limita-
tivo. Estque vel reduplicativa, vel specifica-
tiva. Illa est, cum omnes termini coherent
essentialiter, ut: homo quia homo est ratio-
nalis, planta quia corpus habet materiam.
Hæc, cum omnes termini non coherent essenti-
aliter, ut: Christus secundum carnem passus
est, Socrates quoad nares est mucosus. Atque
huic quo minus meum addam calculum, ob-
stare nihil video.

SECTIO II.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Statum Controversiæ exponens,

I.

Distinguendum est inter materiale & formale

male. illud rei commune est cum aliis. sic materiale hominis dicitur animalitas, unitatis ens, quantitatis materia. Hoc rem ultimato constituit & ab aliis separat. sic formale hominis dicitur rationalitas, unitatis indivisio, quantitatis extensio. Atque de hoc solliciti jam sumus, non de illo.

II.

Dist. inter *formale enunciationis in genere*, & *reduplicativa in specie.* illud consistere videtur in *conjunctione subjecti cum predicato*, cujus *vinculum* est verbum substantivum *sum*. Propositio enim *totum* quasi *integrale* est, quippe ex subjecto constat & predicato, tanquam *partibus* quibusdam *integralibus*. *Integrales* dico, quia si *essenciales* essent, una ut *actus*, alteram tanquam *potentiam* imberet: & si *universales*, *partes plus* continerent *actu*, quam *totum*. quod utrumque hic non habet locum. Itaque sicut in *totis integralibus*, forma alia nulla occurrit, quam *partium totis competentium conjunctio*: ita nec alia dabitur in propositione. Copula autem EST non est ipsa illa *conjunctio* propositionis, sed est *vinculum*, sine quo conjunctio non potest fieri: nempe perficiens illam potentiam, quæ in extremis propositionis est ad conjunctionem, non secus, ac si duo corpora ligaveris fasciâ, fascia non est ipsa copulatio, sed medium, sine quo

cor-

corpora illa non possunt conjungi. vid. *Nol-
dius* l. a. Verùm de hoc jam non disputamus,
sed de formali reduplicativæ in specie.

III.

Dist. inter enunciationem reduplicati-
vam latè, & strictè consideratam. Latè
omnis limitativa s. restrictiva, hoc est, ea,
quæ syncategoremate limitante, quatenus &c.
constat, reduplicativa dicitur. Strictè ve-
rò, per reduplicativam, altera restringentis
species intelligitur. Limitativa enim
(κατ' ἐξοχήν sic dicta) est vel reduplicati-
va, vel specificativa. Atque in hoc strictio-
ri sensu enunciationes istas jam accipimus.

IV.

Dist. inter reduplicativam ut sic, abstra-
ctè & formaliter consideratam; & quatenus in
hoc vel illo statu materialiter spectatur. De
illâ loquimur, non de hac.

V.

Status itaque controversiæ hic est:
Quodnam sit formale s. formalis-ra-
tio enunciationis reduplicativæ stri-
ctè sic dictæ, & specificativæ, abstra-
ctè & formaliter consideratæ?

Hoc

VI.

Hoc autem priusquam ostendamus, observabimus duas Logicorum hypotheses, adeo firmas atque certas, ut in canones relatæ ab iisdem fuerint. Altera hæc est:

A Quatenus Reduplicativo ad Omne
V. C.

Ita docent *Calov.* de Meth. p. 818.
Danhawer. Ideâ boni Disp. sect. 1. p. 79.
Læberus Tab. Log. 18. p. 24. *Saurius* Synt.
Log. lib. 2. sect. 2. cap. 2. qv. 2. pag. 304.
Prüchner. Artif. disp. part. 2. Tr. 1. Cap. 4.
tit. 3. art. 3. Reg. 1. cæteri; ferè omnes.

VII.

Altera sic habet :

A Quatenus Reduplicativo ad per se
V. C.

Hæc regula legitur ap. *Danhawerum*, *Scheiblerum*, *Noldium*, & alios; & ex inductione exemplorum, ab adversariis alatorum, firmari quoque potest. Reduplicativa enim est: *homo, quatenus rationalis, est risibilis*, *Læb. Stal. Scharff. &c.* quid colligere inde prohibet: Ergo *omnis homo est risibilis*, E. *homo per se est risibilis?* Reduplicativa est: *homo, quâ homo, est rationalis*, *Saur.* quis sequi inde negaret: Ergo *omnis homo est rationalis*, E. *homo per se est rationalis?* Reduplicativa est; *Canis, quâ talis*

*ralis est latrabilis, Prucner. Collige similiter,
& vera esse, quæ dixi deprehendes. sequitur
enim: E. omnis canis potest latrare, E. canis
per se latrare potest. Omitto alia, ne lu-
cena soli asferre videat.*

SECTIO III.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Veram sententiam confirmans.

THESIS I.

Formale reduplicativæ κατ' ἐξοχήν, ab-
stractè & formaliter considerata,
consistit in essentiali nexu omnium
terminorum.

Κατάδειξις

Tria hîc demonstranda argumentis sunt:
1. quod reduplicativa consistat in essentiali
nexu terminorum. 2. quod consistat in es-
sentiali nexu omnium terminorum. 3. quod
hoc sit formale reduplicativæ. Primum pro-
batur hoc argumento: Quæcunqve enun-
ciatio infert modum per se predicativum, illa
consistit in essentiali nexu terminorum: at-
qui enunciatio reduplicativa infert modum
per se predicativum; Ergo enunciatio re-
duplicativa consistit in essentiali nexu termi-
norum. Minor ex sect. II. §. 7, constat.
Maiorem

Majorem nec ipsi adversarii salvis suis hypo-
thesibus negare possunt. Dicunt enim, gra-
dum per se esse superiorem atque auctiorem
gradu de omni. Ergo necesse est, ut cum
de omni sistat necessitatem in simplici valore,
aliquid ad eum addat ulterius gradus per se,
qui est superior. illud verò nihil aliud, quàm
essentiale est, sive constitutivum, quod per
se in essendo vocant; sive consecutivum, quod
per se in afficiendo dicitur plerisque. Quid?
quod disertè, modum per se predicativum
inferre essentiale, doceant. audiamus eo-
rum verba. Sturmius Disp. Log. 14. hæc
trahit: Propositio per se constituitur, cujus
partes essentialem ad invicem respectum ha-
bent. Scharffius manual. Log. part. special.
lib. 1. cap. 2. Propositio, inquit, per se est,
quando predicatum per essentiam rei inest,
ita ut predicatum essentialiter cohereat cum
subjecto. Saurius Syntagm. Log. lib. 1. Part-
propr. sect. 1. c. 1. §. 7. Per se quatuor
modis dicitur: 1. est id, quod essentiam in-
greditur ejus, de quo predicatur. 2. quod
rei est proprium in quarto modo &c. Omit-
to alios, idem asserentes. plures quippe sunt,
quàm chartæ potest capere angustia.

Sed occurrere quosdam video meæ sen-
tentia, dicentes, quatuor esse per se dicendi
modos: *essendi, predicandi, causandi,*
existendi. Equidem non ignoro; sed quàm
male

malè hæc cohæreant, quæso, percipite. *Tertius* modus (nam *primum* & *secundum* in controversiam non voco) *caussandi* dicitur, quando *proprius effectus prædicatur de causa*, ut: *homo ridet, animal appetit*. Ego verò dico, modum hunc per se esse aut *incommodum*, aut *superfluum*. *Incommodus* est, quia *per se prædicativum* (hoc enim ad *secundam mentis operationem* pertinet, in quâ jam versamur) tanquam *gradus propositionis necessariae*, se componet ad *necessitatem*, at verò *per se caussandi*, de re aliâ est sollicitum, nempe ut possit *cum intentione* influere. atque adeo illum suum destinatum influxum non semper dirigit ad ea, quæ sunt *necessaria*, sed interdum ad *contingentia*. *Superfluus* est, quia lege contradictionis, unum quodque est aut *essentiale*, aut *non essentialè*. si illud, atque à priori, jam est *per se in primo modo*; à posteriori, in *secundo*; si hoc, est *per accidens*.

Eadem ferè est ratio *quarti modi*, quem vulgò appellant *per se existendi*, eumque trifariam exponunt: 1. *cum idem dicitur de eodem*, ut: *homo per se est homo*. nugæ! 2. *cum existentia de substantiis prædicatur*, quasi substantiæ per se existerent, *accidentia per accidens*. Verùm in hæc significatione, *per se aut idem* est, quod *per se primi modi* (*Synonymica enim prædicatio est, substantiæ*)

iii

cia existit;) aut, quod pejus, prorsus nullum.
quatenus enim hæc enunciatio, *accidens existit*,
est in primo modo, (cum enim existentia sit affectio entis, accidentis etiam essentialiam ingrediatur necesse est, adeoq;) essentialis est; quatenus in quarto, non essentialis eadem est. 3. cum prædicatum de subiecto proximo dicitur. Sed in hoc sensu quædam per se sunt, quæ non possunt esse per se, ut: *animal est mas vel femina, vigilans vel dormiens, sanum vel ægrotum, homo habet manus, est Medicus, planta habet radicem*. &c. quæ denominationes subiectum quidem habent proximum, sed tamen sunt per accidens. Deinde hic etiam quædam per accidens sunt, quæ non possunt esse per accidens. nam, secundum ipsos, *homo est sensu præditus*, per accidens, quia homo non est subiectum proximum sensuum, sed animal. vid. Scheibler. Op. Log. part. III. Tr. de prop. c. 4. Tit. 5. pag. 556. seq. & Nold. l. d.

Venio ad secundum κατὰ μέρος membrum, ostensurus, reduplicativam consistere in essentiali nexu omnium terminorum. Nam si unus, aut aliqui termini, non coherent essentialiter, non fit reduplicativa, sed specificativa, e. g. hæc: *homo, quatenus est animal, sentit*, reduplicativa est, quia omnes termini essentialiter coherent. expone enim, & omnes esse per se videbis. *homo, per se sen-*

B

618,

tit, animal per se sentit, homo per se est animal. At si dico: homo quatenus est animal est albus, coherent quidem homo & animal essentialiter, sed non homo & albus, ideoque hæc propositio *specificativa* est.

Restat ultima κατὰ θεσιν pars, quæ faciendum planum est, essentialem omnium terminorum nexum, *formale esse reduplicativæ*. Argumentum hoc est: Quicquid rem ultimato constituit & ab aliis separat, id formale ejus est: atqui essentialis omnium terminorum nexus reduplicativam ultimato constituit, & ab aliis (sc. specificativis) separat; Ergo essentialis omnium terminorum nexus formale reduplicativæ est. *Major à definitione petita. Minorem confirmant antecedentia, quæ hic repetere nolo.*

THESIS II.

Formale specificativæ consistit in extraessentiali terminorum vel omnium, vel saltem duorum nexu.

κατὰ θεσιν.

Hoc patet ex iis, quæ dicta modo ad priorem thesin sunt. Quæ enim sibi invicem opponuntur, ea oppositas quoque habent formalitates. at enunciatio reduplicativa & spe-

Specificativa sibi invicem opponuntur; Ergo enunciatio reduplicativa & specificativa oppositas formalitates habent. Major probatur, quia *contrariorum contraria sunt consequentia*. Minor patet ex lege divisionis, quæ sic habet: *Membra dividenda debent convenire in distincto, pugnare autem inter se*. At reduplicativa & specificativa sunt membra dividenda limitativam enunciationem; Ergo.

SECTIO IV.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

Aliorum sententias examinans.

§ I.

Commemoravi sect. I. aliquot sententias Logicorum de formali reduplicativæ. ultimæ ex iis, quatenus in *essentiali terminorum nexu* reduplicativam consistere asserit, subscripsi. De reliquis quid mihi videatur, salvo aliorum iudicio, jam dicam. *Prima*, quæ *Ildephonsi de Pennasfel & Matthiæ Aqvarii* est, ab *Etymologia* petita videtur. Verùm (1.) *infirma sunt*, quæ ex *Etymologia* depromuntur argumenta (2.) Deinde *specificativa* etiam *subjectum suum duplicare* possunt, ut: *homo, quatenus homo, est doctus*.

B 2

paries

paries, quatenus paries, est albus. (3.) Et reduplicativæ multæ sunt, subiectum non iterantes, e. c. Brutum, quæ animal, sentit. homo, quatenus est rationalis, est risibilis. Deus, quatenus est infinitus, est æternus. angeli, quatenus sunt spiritus, sunt immortales. (4.) Taceo, quod duplicatio subiecti per accidens tantum competat reduplicativæ, eaq; de causa formale ejus esse minime potest.

§. II.

VI. Quidam
Verò similior videtur *secunda* sententia, quæ *Gutkio* placuit, reduplicativæ formale in convertibilitate situm esse existimanti. Et eò quidem assensum meretur *Gutkio*, quod ad *essentiale* forsitan respexerit. Notandus autem propterea est, quod *materiale* cum *formali* temere confuderit. convertibilitas enim rationem *materialis* habet, respectu *reduplicativæ abstractè* consideratæ. Probo: Quicquid rei commune est cum aliis, id *materiale* est; non *formale*: atqui convertibilitas reduplicativæ communis est cum aliis; Ergo. *Major* innititur definitione *materialis*. Assumptum exempla firmiter propositionum specificativarum, ut: *omnis homo, quatenus vivit secundum præscriptum sane rationis, est Ethicus. omnis homo, quatenus est animal, ambulat, edit, bibit. omne corpus, quatenus est visibile, est lucidum, vel coloratum.* harum enunciationum prædicata principalia

lia cum termino duplicato converti posse,
nemo, spero, negabit. salvâ enim veritate
dicere possum: *omnis Ethicus vivit secun-*
dum præscriptum sanæ rationis. omne id,
quod ambulat, edit, bibit, est animal. omne
lucidum vel coloratum est visibile. Adde ali-
ud argumentum: Quicquid non omni re-
duplicativæ competit, id formale reduplica-
tivæ abstractè consideratæ esse nequit: atquæ
convertibilitas non omni reduplicativæ
competit; Ergo. Major è terminis nota,
Minor ex exemplis. ut: *omnis homo, quate-*
nus est animal, est corpus. omne corpus,
quatenus est substantia, est ens. omnis ha-
bitus, quatenus est qualitas, est accidens.
omnis arbor, quatenus est planta, est corpus
vivum. quarum enunciationum prædica-
ta cum termino duplicato, citra jacturam
veritatis, converti non posse, nemo non vi-
det, etiam me tacente. falsum enim dicitis,
si istas hoc modo convertitis: *omne corpus*
est animal. omne ens est substantia. omne ac-
cidens est qualitas. omne corpus vivum est
planta. falsum etiam dicitis, si prædicata
convertitis cum subjectis: *omne corpus est*
homo. omne ens est substantia. omne accidens
est habitus. omne corpus vivum est arbor.
Et cum limitatur prædicati causa remota,
convertibilitas ejusmodi nulla habet locum.
neque enim quia *homo quæ animatus, sentit,*
ideo omne sentiens est homo.

Tertia

Tertia sententia quò vulgarior, eò magis mihi semper visa est suspecta. novi enim, quo ingenio sint plerique, hodiè philosophantes. quippe auctoritate magis eos duci, quàm amore veritatis video. Itaq;, quæ sentiam, liberè dicam. Ac primum quidem animadverto, eos materiale confundere cum formali, quod hoc argumento planum faciam: Quicquid non omnium reduplicativæ competit, id formale reduplicativæ abstractè consideratæ esse non potest: atqvi limitatio causæ non omnium competit reduplicativæ; Ergo. Minorem probo: quia dantur etiam reduplicativæ, limitantes effectum, ut: corpus, quò quantum, est materiatum. homo, quò risibilis, est rationalis. homo, quatenus intelligit, est rationalis. Deus, quatenus est æternus, est infinitus. canis, quatenus latrare potest, est corpus vivum. Præterea specificativas etiam reperias, in quibus limitatur causa per particulam quatenus. unde sic colligo: Si reduplicativa consistit in limitatione causæ, sequitur, quod hæ etiam reduplicativæ sint e.g. homo, quatenus gravis, decidit è tecto. canis, quatenus dentes habet, mordet. planta, quatenus pluvia irrigantur, feliciter crescunt. lux, quatenus ipsi opponitur corpus opacum, efficit umbram. sed poste-

rius

rius est falsum ; Ergo & prius. Majoris
connexionem probo, quia in hisce enuncia-
tionibus omnibus limitatur causa. gravitas
enim est causa descensus, dentes sunt instru-
menta morsus, pluvia est causa incrementi
plantarum, interpositio corporis opaci est
causa umbræ. Minorem ex hypothesibus
adversariorum, secundum ordinem propo-
sitionum, ita demonstro. (1.) à Quatenus
reduplicativo ad omne V. C. Sed in hac
propositione, homo, quatenus gravis &c.
à quatenus ad omne N. V. C. neque enim
omnis homo, neque omne grave decidit è
tecto. Ergo. (2.) Dentes sunt partes
canis. ubi autem quatenus signat certam
partem, secundum quam prædicatum dicitur
de subjecto, ibi reduplicatio locum habere
nequit, sed specificatio, ex communi illa
sententia. Deinde etiam non omnis canis
mordet. quod tamen inde sequeretur, si re-
duplicativa haberetur illa propositio. (3.)
Neque omnis plantæ pluviam irriquantur, ne-
que omnis planta feliciter succrescit, neque
omne quod pluviam irriquantur, crescit. Sic e-
tiam (4.) non omnis lux efficit um-
bram, nec omni luci opponitur corpus opa-
cum, nec omne, cui opponitur corpus opa-
cum, efficit umbram. Ergo. Denique cum
limitatur conditio sine qua non prædicati,
non fit illico propositio reduplicativa. nam-
que: *Socrates, qua librum aperit, legit*
Ignis,

ignis, quâ prope est, urit: sedens, quâ surgit, ambulare potest: agens, quâ tangit, movet &c. exponentes habent, quæ ne quidem sunt de omni, tantum abest, ut per se sive essentielles sint, ut: Socrates legit, Socrates aperit librum, aperiens librum legit. ignis prope est. tangens movet. &c. Concludimus itaque, formale reduplicativæ nec in limitatione causæ rectè poni; sed potius in essentiali omnium terminorum nexu, ut ostendimus supra.

S. D. G.

COROLLARIA.

I.

Logica non est pars Philosophiæ.

II.

Individuum de multis non potest prædicari.

III.

Propria possunt communicari.


IV.


Omnis propositio indefinita est vel Universalis, vel particularis.

V.

Ex meris particularibus, rectè dispositis, semper & formaliter vera sequitur conclusio.

☞ (o) ☞





lia cum termino duplicato co
nemo, spero, negabit. salvâ
dicere possum: *omnis Ethicus*
dum præscriptum sanæ rationis
quod ambulat, edit, bibit, est
lucidum vel coloratum est visibi
ud argumentum: Quicquid n
duplicativæ competit, id forma
tivæ abstractè consideratæ esse n
convertibilitas non omni
competit; Ergo. Major è ter
Minor ex exemplis. ut: *omnis*
onus est animal, est corpus. o
quatenus est substantia, est en
bitus, quatenus est qualitas,
omnis arbor, quatenus est plan
vivum. quarum enunciation
ta cum termino duplicato, cit
veritatis, converti non posse,
det, etiam me tacente. falsum
si istas hoc modo convertis:
est animal. omne ens est substan
ciens est qualitas. omne corp
planea. falsum etiam dicitis,
convertis cum subjectis: *omn*
homo. omne ens est substantia.
est habitus. omne corpus vivu
Et cum limitatur prædicati cat
convertibilitas ejusmodi nulla
neque enim quia *homo quâ anim*
ideò omne sentiens. est homo.

